



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1653**

Sermo II. Fides cum fundamento variè co[m]paratur Quia Fidei cu[m]  
Fundamento Domus est conuenientia multiplex. Fundamentum aliud  
nemo potest ponere, præter id, quod positum est, Christus Iesus I. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

viros laudatissimos posteris imposuisse necessitatem  
nunquam deserendi virtutem illam, quæ auis ab auisque  
laudem peperit apud omnes gentes, ad quas CON-  
STANTIA in asserenda Fide Catholica Colonienſium  
peruenit, sempiternam.



## SERMO II.

### FIDES

Cum Fundamento variè comparatur:

### QVIA

Fidei cum Fundamento domus est Conuenientia  
multiplex.

*Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod possum  
est, quod est Christus IESVS, I. Corint. III. II. id est,  
Fides in Christum IESVM.*

### ARTICULUS I.

## PRIMA CONVENIENTIA

*inter Fidem & Fundamentum est, esse Primum & Initium*



QVOD in arbore est radix, in columna ba-  
sis, in naui carina; quorum idcirco prima  
debet esse cura, in plantando, statuendo,  
fabricando, id in domo est Fundamen-  
tum: quo benè ac feliciter iacto, cantari  
potest Architectus,

*Dimi-*

*Dimidium facti, qui benè cœpit, habet.*

Quamobrem, cùm nobis, tanquam fabricatoribus, sit demandatum munus extruendæ DOMVS SAPIENTIÆ, quam demonstrauius esse ex virtutibus omnibus Christianis Basilicam, siue Habitationem regiam DIVINITATI incolendæ; ritè atque ordine à Fundamento incepimus, secundum Architecturæ regulam. Fundamentum autem Domus Sapientiæ probauius proxime esse Fidem, veram, supernaturalem, Christianam. Sed cùm in omnium ore versetur, Fidem Virtutum esse Fundamentum, non omnibus tamen æque nota est illius denominationis ratio. Quæ aliunde quàm ex Architectura peti nō potest: cuius ductum, dum sequimur,

PRIMA occurrit inter Fidem & Fundamentum conuenientia, quod quemadmodum Fundamentum, est domus pars prima, & initium, ita Virtutum fabrica initialem partem habeat Fidem, *Fides*, inquit S. Augustinus, *humana salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest peruenire: quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquā iustificationis gratiam consequitur, neque in futuro vitā possidebit aternam.* Ita loquitur Sermone xxxviii. de tempore. Et lib. i. de Agone Christiano cap. 13. *Fides est prima, quæ subiugat animam DEO: deinde, præcepta dat viuendi, quibus custoditis, Spes nostra firmatur.* Nec minus clarè D. Ambrosius, qui idcirco Fidem vocat radicem virtutum, qua caruisse Cain improbum asserit, lib. 2. de Cain & Abel. cap. 9. *Quid miraris, inquit, si pietatem non coluit, qui non agnouit Auctorem? Et idè doceris hac serie Scripturarum, Fidem esse radicem virtutum omnium. Vnde & Apostolus ait: Quia Fundamentum nostrum Christus est.* Ob hanc caussam, Fidem actionis iustæ genitricem appellat Prosper lib. i. de Vocatione Gentium, *Fides ait, bonæ voluntatis, & iustæ actionis est genitrix.* FIDEM quoque Paulus Apostolus, primo loco

R 2

ponit

ponit inter virtutes Theologicas, vt reliquarum Funda-  
 mentum I. ad Corinthios. *Nunc autem manent, Fides, Spes,  
 Caritas.* Denique, ad Hebræos tertio Fidem nuncupat  
*initium Substantia, ἀρχὴ ὑπόστασις.* Siquidē Fides est initium  
 substantiæ nostræ, siue subsistentiæ Spiritualis, id est,  
 nostræ iustificationis, quia fuimus diuinæ participes fa-  
 cti naturæ, & inserti Christo: vt D. Chrysostom. Theo-  
 dorerus, Theophylactus, Oecumenius. exponunt. Ne-  
 que malè notat Maldonatus, (a) Fundamentum fidei  
 vocari ab Apostolo ἀρχὴ ἰνῆτιον, quia cuiusque rei fun-  
 damentum, in ea primum est, est que rei initium. Item  
 appellari ὑπόστασις, id est, substantiam vel subsistentiam,  
 qualis est totius domus fundamentum, quod substat  
 omnibus, & in quo subsistunt omnia. Qui commentan-  
 tur in Symbolum Fidei, inter quos Ruffinus, monent,  
 primum eius verbum esse Credo, quo exprimitur ac-  
 ctus Fidei, tanquam initium cunctorum, quæ requirun-  
 tur ad salutem, & virtutum exercitationem. Hoc loco,  
 inquit ille, fons & origo omnium bonorum ponitur,  
 dum dicitur: Credo in Deum Patrem Omnipotentem.  
 Sicut & Paulus Apostolus ad Hebræos scribens dicit:  
 (a) *sine fide impossibile est placere D E O.* Quare primum  
 omnium accedentem ad Dominum, oportet credere,  
 quia est, & quod credentibus in se remunerator  
 fit. Sed & Propheta (b) dicit: *Nisi credideritis;  
 non intelligetis.*

## ARTI-

(a) Ioa. Maldon. in Notis MS. in epist. ad Hebr. (b) Ad Hebræ. xi. 6.  
 c) Isa. vii. 9.

## ARTICVLVS II.

## SECVN. CONVENIENTIA

*inter Fidem & Fundamentum est, quod sint prima,  
inchoatione, non dignitate.*

FIDEM docent Theologi (a) esse Primam Virtutem inter Christianas, non quidem ordine dignitatis, vt contendunt hæretici; sed vt Fundamentum domus, quod dignitate reliquas ædificij partes non superat: est tamen prima inchoatione: prima secundum executionem, non secundum intentionem. Et sanè constat, Doctore Paulo, Caritatem maiorem prioremque esse Fide, si dignitatem spectes. *Nunc, inquit, manent, Fides, Spes, Caritas: maior autem horum est Caritas, 1. ad Corinth.* Loqui autem Apostolum, de dignitatis præstantia, & maiore excellentiæ, liquet ex capitis duodecimi extremis: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. quamnam illam? Supereminentem Scientia Caritatem, ad Ephesios III. ac proinde statim capite XIII. ad Corinth. longum textit sermonem; in quo declarat, Caritatis necessitatem, efficaciam, perpetuitatem, ac præcellentiam supra Fidem, & Spem reliquaque DEI dona. Ad Colossenses autem cap 3. hortatur: Super omnia autem Caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

FIDES igitur est Prima Virtutum, vt Fundamentum in ædificio, origine, & vt loquimur in Scholis nostris, viâ generationis, quâ Fundamentum præcedit parietes, contignationes, tectum. Siquidem Fides ostendit finem supernaturalem vltimum, ad quem ceteræ virtutes Christianæ disponunt: hac autem Fidei notitia excita-

R 3 tur

(a) S. Thomas 22. q. 4. art. 7. Valentia dup. 3. Bannez q. 4. art. 7.

tur & propellitur homo ad reliquarum virtutum officia. Et quidem, ut nihil in naturalibus est volitum, nisi præcognitum, ita in supernaturalibus, nec speratur quicquam, nec amatur, nisi Fide prius creditum. Quocirca necesse est, aliquam Fidei functionem circa DEVM tempore, vel natura præcedere, ut aliarum virtutum officia ad vltimum finem disponant per meritum, id est, ut *Ædificium Spirituale* perficiant.

Vtitur ad idem probandum alio argumento S. Thomas, quo etiam confirmatur, Fidem esse Fundamentum respectu Caritatis, cui præsupponitur. Sic autem ratiocinatur. Fides prima est inter virtutes Theologicas: hæ autem sunt reliquis omnibus virtutibus priores. Itaque Fides absolutè est prior omnibus. Antecedens inde deducitur: quia cognitio vltimi finis, quæ pertinet ad Fidem, prior est actibus voluntatis, atque ideò Spei & Caritatis circa eundem vltimum finem. Quod autem virtutes Theologicae præcedant omnes alias, est satis euidens, quoniam occupantur circa vltimum finem, qui in agibilibus ceterorum omnium est principium.

## ARTICULUS III.

*TERTIA CONVENIENTIA*

*inter Fidem & Fundamentum est, quod vtrumque sit Primum, in genere causæ materialis.*

**E**X eo, quod Fides sit *Prima Virtutum*, veluti Fundamentum domus, efficiunt Theologi, quod sit prima in genere materialis causæ. Et sanè Fides habet se, tanquam materia: quæ formarum est basis, quibus substernitur. Quare, ut se habet corpus respectu formæ ac  
compo-

compositi, ita Fides caussaliter suam exercet, tum respectu aliarum virtutum sigillatim acceptarum, quibus substernitur, tum respectu totius Ædificij Spiritualis. Atque inde etiam accommodatè dicitur *ὑπόστασις*, Substantia, & substantia, nimirum, caussaliter, quæ æquè Fundamento ac materiæ conueniunt.

CVM igitur Fides inter virtutes sit omnium prima, non quia præstantissima, quod conuenit Caritati, sed quia fundamentum ac basis, vt materia inter causas, ac pes in corpore, carina in naui, optimum est consilium, ante omnia officia, quibus per diem vacandum; siue domi, siue foris; siue in curia siue in tribunali; siue in foro, siue in templo, siue in gymnasio, protestationem fidei emittere, & à vocolâ CREDO, cum suis appendicibus diem auspiciari. Nam Domus Sapientiæ, diligendo quidem perficitur, & sperando erigitur, sed credendo fundatur. Et, si in nobis ædificare volumus, tanquam Sapientes Architec̃ti, Ædificium Spirituale Virtutum, ponamus Fundamentum Fidei, firmum, stabile, inconcussum, immobile; Fidei Christianæ, orthodoxæ, Catholicæ, Fidei vniuersalis, Romanæ, Apostolicæ; Fidei Pontificiæ, Papisticæ, à quo nomine non abhorremus, cum sit Fidei saluificæ. Credamus firmiter, cōstanter, immobiliter omnia, quæ DEVS reuelauit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, siue scripta illa sint, siue non sint. Sed imprimis credamus, quia DEVS est, & quia remunerator bonorum malorumque est, vbique bonus, vbique misericors, nec minus vbique iustus in seculorum secula.



R 4

ARTI-

## ARTICULUS IV.

## QUART. CONVENIENTIA

*inter Fidem & Fundamentum est, quod utrumque sit  
Pars aedificij maxime firma.*

**D**E Fundamento hoc adeò certum est apud omnes, ut ponere, iacere, agere, constituere fundamentum, idem sit, quod firmare rem aliquam ac stabilire, fundatam esse, idem, quod stabilitam. Eleganter Quintilianus, *Fundatam patèrnis auitisq; opibus domum exhaurit.* Hinc supra Fundamentum, tanquam rem firmissimam stabiliri dicimur. Id ipsum autem Fidei præcipuè inter omnes virtutes adscribitur. Eius proprium decus est firmitas, constantia, stabilitas. Tantæ firmitatis est FIDES CHRISTIANA, quam Fundamentum esse Aedificij Spiritualis probauimus, ut suis nixa viribus ne quidem ex infantium, puerorum, puellarumque, & imbecillium animis villo tormentorum, quamuis immanissimorum genere effundari potuerit. Præclare Clemens Alexandrinus, libro 2. Strom. *Qui ex Fide conuiuari instituerit, is ad diuinorum verborum susceptionem firmus est, ac stabilis: ut quod iudicium, quod bona nititur ratione, nempe, Fidem habeat.*

Certus sum, clamat Apostolus, *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura poterit nos separare à Caritate DEI, quæ est in Christo IESU Domino nostro, ad Roma. VIII.* Vnde tanta certitudine firmus, nisi ex Fidei firmitate, inquit S. Hieronymus in cap. I. Epist. ad Galat. Hinc tam illustria in prioribus seculis, paruulorum etiam, & adolescen-



lescentium martyria: nimirum, hærebat in ijs tenacissimè Spirituales ædificij Fundamentum Fides. Innumera huius rei exempla proferri possent ex historia Ecclesiastica, quæ talibus scatet.

ARIVS Antoninus, quàm persequeretur instanter in Asia fideles, omnes vnius Ciuitatis Christiani ante tribunalia se manu facta obtulerunt, vt refert antiquissimus auctor Tertullianus. (a) Diocletiani tempore, quum natalis dies Christi festiua adesset, viginti millia Christianorum, in templo à Tyranno conclusi, igne conflagrare maluerunt, quàm tantillum, Christianæ Fidei stabilitate deflectere: quod scribit Nicephorus. MISSIS vulgaribus alijs, exemplum hic subtexo illustre & admirandum de ciuis Colonienfis filio IO ANNE, cognomen latet. Id merito aureis exaratum litteris, vtraque lingua in tabella appendi deberet in templis, vt haberetur honos à Colonienfis Martyri Colonienfi, hæctenus apud nos neglecto, quia ignoto. Historiam narrat Ioannes Petrus Maffeus rerum Indicarum scriptor, qui agens de conuersionibus ad fidem, à Gasparo Borzæo factis Armuziæ: *Misti, inquit, varijs è nationibus ad eñ desertores ac transfuga nec non schismatici ventitabant. Ab assini Armenij, Georgiani: & ex Europa non pauci, quos ille per summam lenitatem, ereptis opinionum erroribus, solemnii ritu expiatis restituebat Ecclesiæ.*

» Ex ijs vnus IO ANNES in ipso conatu Casparis ad-  
 » eundi præclarū Martyrij decus tulit. Germanus erat  
 » genere, in vrbe COLONIA natus, patre admodū locu-  
 » plere, annumque iam decimum in oppido Turca-  
 » rū Califa non longè ab Armuzianis finibus, pro Ma-  
 » hometano se gerebat, tormētarij pulueris artifex; at-  
 » que ob hoc ipsum genti percarus. Is audito Casparis

R 5 nomi-

(a) Ter. ad Scapulam. (b) Nicephor. lib. vi. cap. 7.

» nomine, rebusque ijs, quæ Armuziæ gerebantur, ab  
 » impio ministerio, ad famulatum Christi, si Caspar  
 » adiuuaret, quam primum redire constituit. Id quo si-  
 » ne arbitris fieret, in atramenti librarij difficultate  
 » sulphureum diluit puluerem: ex eo diluto litteras ad  
 » Casparem, vna eademque sententia, Latino Belgico,  
 » Francoque sermone, conscribit: vehementer optare  
 » se, modò apud Lusitanos tutò liceat commorari, & à  
 » Caspare fidem accipiat, Armuziam venire, & Chri-  
 » sto Domino, per Sacramentum pœnitentiæ satisfacere.  
 » cere. Eo nuncio lætus Caspar extemplò rescribit, fi-  
 » denter accedat, sibi, ac Lusitanis aduentum ipsius gra-  
 » tissimum fore. Hæc epistola, incertum, cuius fraude,  
 » qui perferendam acceperat, an alio quo casu ab Ca-  
 » lifano præfecto intercepta, Ioannis consilium prodit.  
 » dit. Confestim à Turcis de ipsius religione quaeritum.  
 » Ille verò sese intrepidè Christianum fateri, atque ad  
 » omnia tormenta, necemque pro Christi nomine  
 » promptum ostendere. Inde furèribus Mahometanis  
 » scèdè laniatus atque dissectus, ad vltimum vsque spi-  
 » ritum, in VERÆ FIDELI Confessione permansit. Ca-  
 » put abscissum, & prælongo infixum hastili Turcæ in  
 » arcis mœnibus posuere. Haud ita multo post Lusita-  
 » na classis Armuziam tenuit: millia duo circiter homi-  
 » num ea classe vehebantur: eius turbæ totius animo-  
 » rum sordes Caspar eluit solus, quod Sacerdotes per  
 » eos dies omnes in morbum incidissent. Inde placato  
 » DEO Lusitanus ardentior ad Califanum littus accessit,  
 » sit, ac repentina exscensione oppidum cepit ac diripuit.  
 » Inter dirptionem Casparis epistola apud Præfectum  
 » reperta eo argumento de Ioannis nece cognitum est:  
 » refixum extemplò caput, Armuziamque accuratè transmissum,  
 » Caspar cum Psalmodia & laudatione per honorificè condidit.

Hvte

HVIC adiungi posset aliud de Equite Bonnensi fide constantissimo, ob quam firmitatem rarum illum subijisse martyrium scribit Antonius Vasconcellus pro de Regibus Lusitaniæ, qui nominat illum HENRICVM, Germanum, natum Bonauillæ (nos Bonnam vicimus) quattuor à Colonia Agrippina leucis aduerso Rheno distitâ ciuitate: additque luculenta aliquot miracula, quibus DEVS fidelissimi sui Militis in fide constantiam probauit, vt fecit per orbem vniuersum in scripturis Euangelij sui testibus ac propugnatoribus. Quare rectissime Lactantius hunc in modum argumentatur: *lib. v. cap. 13. Cùm ab ortu Solis vsque ad occasum, & omnis sexus, & omnis etas, & gens & regio, vni is ac paribus amentis DEO seruiant: eadem sit vbique patientia, idem contemptus mortis, intelligere debuerunt, aliquid in ea esse rationis, quod non sine causa vsque ad mortem defendebatur: aliquid FVNDAMENTI, ac Soliditatis quod eam religionem non tantum iniurijs ac vexatione non soluat, sed augeat semper, ac faciat FIRMIOREM.* Hæc tñ mitas fundamentalis in Fide, eo etiam confirmatur, quod quamuis plurimi facile omni flagitiorum genere se inquinant, horum tamen comparatione sint pauci, qui fidem eiurent, si semel bene instituti sint Adde, reperiri plerosque, qui vitam mallent exponere tum periculo, tum exitio, quàm fidei aliquid contrarium asserere: licet penè quotidie contra castitatem, caritatem, temperantiam, similesque virtutes gravissimè delinquant. Quo fit, vt spirituales virtutum Christianarum fabricã facile deiciant, fundamentum tamen retineant: nimirum, hoc Ædificij pars est, ceteris omnibus firmior, ac proinde difficillimè mobilis.

HVIVS rei causam hanc adsignant Theologi, (a) quod Fides certior sit omni alia cognitione naturali: quare

(a) S. Thomas 2. 2. q. 4. art. 8. (b) 1. ad Corinth. 11. (c) Petri 2. 1.

quare ita firmiter animo hæret, vt auelli, nisi sum-  
 nequeat. Certior est Fides, quàm scientia etiam de-  
 stratiua Philosophorum: quoniã per fidẽ participat  
 cognitionem, quã DEVS res cognoscit: & assensum  
 nititur certitudine, ac infallibilitate DEI cognoscit.  
 Idcirco Fides dicitur DEI Sapiẽtia. Fides vestra, inquit  
 Iulius Apostolus, (a) non sit in Sapiẽtia hominũ, sed in  
 DEI: Sapiẽtiam loquimur inter perfectos: Sapiẽtiam verò  
 huius seculi, neq; principiũ huius seculi, qui destruuntur, sed  
 mur DEI Sapiẽtiam. Habemus, ait fidei magister Petrus  
 (b) firmiorem propheticum sermonem: firmiorem habet  
 biẽ quam sit omnis scientifica ratiocinatio. Est  
 certior, quàm sit principiorum habitus: quo ratiocinatio  
 homine, quippe innato, nihil videtur esse posse certius  
 nihil firmius. Est certior, quàm experientia sensuum  
 verè dixerit Augustinus: (c) Facilius dubitarem videtur  
 quàm non esse veritatem, quæ per ea, quæ facta sunt, in  
 conspicitur. Et non erat prorsus vnde dubitarem. Sensus enim  
 & fascinari potest: non ita Fides. Quare rectè Dionysius  
 (d) Areopagita securè pronunciat: Eum, qui in veritate  
 dit iuxta Scripturæ fidem, nihil remouebit à veræ fidei auctori-  
 quo constantiam immobilis atque immutabilis idem in  
 bit. Nouit enim penitus is, qui veritati coniunctus est, quàm  
 se habeat, etiamsi plures illum corripiant, quasi a mente in  
 se factum. Et S. Basilius in epistola ad Gregorium Nanzian-  
 num fratrem: Quemadmodum in eis, quæ oculis apparen-  
 tior videtur experientia, quàm ratio causæ; sic in sublimibus  
 matibus potior est ratiocinationum comprehensio ipsa Fidei  
 rum Concione in Psal. cxv. Fides præeat, ac ducat sermone  
 DEO, & non demonstratio. Fides supra rationales methodos  
 mum ad assensum trahens. Seuerè autem S. Chrysostomus  
 ta pronunciat homil. XII. in Epist. ad Hebræos: Fides

(a) 1. ad Corin. II. (b) Petri 2. I. (c) Aug. lib. VII, Confess.  
 (d) S. Dionys. lib. VI, de nom. diuini.

potest. nisi cum circa ea, quæ videntur nequaquam oculis, am-  
 quam circa ea, quæ sic videntur certitudinem quis habuerit,  
 oinde firmitus eis adheret.

Vis scire, clamat S. Hieronymus ad Pammachium scri-  
 ptus. quantus sit ardor benè credentium? audi Apostolum  
 nos aut Angelus de cælo aliter euangelizauerit vobis, anathe-  
 sit. Et in cap. i. epistolæ ad Galatas: Apostolus firmitatem  
 sua ostendit, dicens: Scio, quia neque mors, neque vita pote-  
 nos separare. Quæ si vera sunt, consequitur: Firmiorem  
 fidem persuasione hæreticorum, quamuis, vsque ad  
 iram feralem, & in ipso rogo, inter flammæ pertina-  
 cissimâ, quippe fallaci. Denique, nec illud omittendum,  
 maius aliquid dici non potest: æquè certam esse Fi-  
 dem Christianam, ac Visionem beatam, si causam spe-  
 ctes. est enim vtrobique, Veritas prima reuelans, licet  
 in Fide claritas, & euidencia.

ARTICULUS V.

QVINT. CONVENIENTIA

inter Fidem & Fundamentum est, quod neutrum nutare possit,  
 absque periculo interitus ædificij.

QVONIAM Fundamentum esse debet firmissimum,  
 nihil tam est noxium ædificio, quàm si illud nutet,  
 aciliet, commoueat: id si contingat, facillimè tota  
 corruit fabrica. Vt videre est cum terræ motu concuti-  
 untur fundamenta ædium. Quod euenit in Calabria  
 ante annos aliquot, vbi non tantum plurimæ domus,  
 palatia & templa prostrata, sed oppidorum pars maxi-  
 ma diruta, immò alicubi Vrbs funditus euersa cum  
 ciui-

(2) Julius Casar Recupitius lib. de Terra motu Calabria.

ciuibus exitium habuit, vbique terrarum publice  
 deflendum. Sed multo magis est exitiosum ædifici-  
 rituali, quàm materiali, si fundamentum eius  
 Nam si uel minimum concutatur Fides, quod fir-  
 tatione deliberatâ, & ipsa dissipatur, & totum  
 mus concidit. Dixi, *dubitatione deliberatâ*,  
 modo intelligendum illud, & explicandum,  
 est in Cap. *Dubius*, (a) de hæreticis: *Dubiũ in fide esse*  
*lem*. Quam primum enim quis voluntariè ac pertinaciter  
 ter de fidei rebus hæsitat, eo ipso est hæreticus: qui  
 præstat assensum quem debet, siquidẽ Fides est  
 sus verus ac certus; quem non habet, qui voluntariè  
 pertinaciter ambigit. Non est tamen contraria Fidei  
 illam concutiat) hæsitatio aliqua inuoluntaria, ac  
 liberata, quæ oriri solet, ex infirmitate naturalitè  
 cæcus, dum supra se per fidem rapitur: quare per  
 nec fundamentũ titubat, nec parietes nutare incipit.

AT QUÆ ita Fidei nostræ Magistri, Doctores Eccl-  
 tradiderunt. Clarissimè S. Basilius, Oratione de ver-  
 pia fide: *Est Fides, inquit, eorum quæ dicta sunt assentiens*  
*batio, sine vlla hesitatione* (intellige, deliberatâ. S. Chri-  
 stomus, Sermone de Fide, Spe, & Caritate: *Fides*  
*nocens ac pura credulitas. Hac excludit dubia, tenet certa,*  
*sa consignat. Hanc qui tenet, felix, qui deseruit, est miser.* S.  
 nardus epistola ad Innocentium, 190. *Abst, vt putetur*  
*fide, vel spe nostra aliquid dubia estimatione pendulum,*  
*magis totum, quod in ea est, certa ac solida veritate submis-*  
*oraculis & miraculis & diuinitus persuasum. Testimonia ista*  
*dabilia sunt nimis.* Ob hanc causam S. Leo Papa, Fidei  
 Christianam *Inconcussam* vocat, monens, Sermone de  
 Natiui. vt vnitati fidei inconcussis mentibus inhaer-  
 mus.

(a) S. Antonin. p. 3. tit. 22. cap. 5. 3. 50. Turrecr. in Sum. de Eccl-  
 4. p. 2. cap. 18. Can. lib. XII. de loc. c. 9. Azor T. o. 1. lib. 8. cap. 9. 9.  
 Bannex 2. 2. q. 4. art. 8.

## ARTICVLVS VI.

## SEXTA CONVENIENTIA

*inter Fidem & Fundamentum, quod vtrumque lateat:  
neutrum videatur.*

FVNDAMENTVM pars est domus oculis subducta: CUM enim imum sit, absconditur in terrâ. Et hoc Fidei Christianæ ἀναλόγως conuenit. Fides nostra neque videt, neque videtur Non videt, quia oculis caeca, obicura, & ineuidens. Fides est argumentum, ἐλεγχος, demonstratio, conuictio, rerum non apparentium, ad Hebræos XI. id est, quæ non videtur. Beati enim qui non viderunt, & crediderunt, Ioannis XX. vnde est illud quæsitum & responsum S. Augustini: (a) *Quid est fides: credere quod non vides.* Nec videtur Fides: haud magis, quàm fundamentum terra obrutum: latet enim in anima, & ita latet, vt neque manibus tangi, neque oculis cerni, neq; vllis sensibus cognosci possit, aut scientia aliqua clara ac euidenti inuestigari. Existimo enim, certum quæ arbitror, (b) imprimis, fidelem ipsum cognitione manifesta & manifestante non posse cognoscere, absque reuelatione diuina, an habeat fidem supernaturalem à Deo sibi infusam, quæ sit Ædificij Spiritualis stabile fundamentum: alioqui cognosceret euidenter se habere, vel habuisse aliquando gratiam, quod non est euident, neque omninò infallibiliter certum. Deinde non posse etiam clarè & manifestè cognoscere, quod habeat assensum supernaturalem fidei propter auctoritatē diuinam, qualis ad fundamenti rationē spectat.

(a) S. August. tract. 4. in Ioan. Hom. 32. ex 50. (b) S. Tho. 2. 2. q. 1. art. 4. & 5. Bellar. lib. 3. de Iustit. cap. 4. 5. 6. 7. Alvarez lib. 5. de auxili. dup. 42.

spectat. Potest tamen eius habere notitiam obscuram, & theologiam, quæ dubitationem excludat, non tamen formidinem, ut in Exercitationibus Scholasticis probauimus. Nimirum, Fides, quia Fundamentum Domus Sapientiæ, in abdito latere debet, nec in oculos per cognitionem claram incurrere.

Si Fides, inquit S. Basil. in Pl. 115. est ὑπόστασις, substantia, subsistētia, basis earū, quæ sperantur rerū, & eorum, quæ non vidētur ἐλεγχος, argumentū, cōuinctio, ne mihi tu curiosus, anxiusq; cōtendas videre, quæ longiore seposita sunt interuallo: netū, quæ speras te olim consequiturū, in ambiguū reuoces, dubiamque partem, quod ad ea nondum potueris certa (id est, clara) cognitione pertingere. Sed illud ipsum quod tam obscurum est, ita animum verè credentis afficit, ut claritatem notitiæ non requirat, ad inconcussam Fide stabilitatē, nec videre desideret, quod fide credit, Cuius rei illustre exemplum fuit in Comite ELZEARIO (a) Gallo, quem viræ Scriptor ita loquentem ad vxorem suam, cum qua virginitatem communi consensu seruārāt, inducit: Ecce Daphina, si Magistēr Franciscus Maronis (erat id celebris professor Theologiæ Parisijs) qui in præcipuis Christiani orbis Theologis numeratur, estque in fide benè instructus ac firmus; itemque F. Ioannes Iuliani Confessarius noster illuminata fidē, & vitæ sanctitate clarus venirent ad me, dicerentque vno animo, Fidem nostram falsam esse, meque hæctenus in magno errore vixisse, ac fuisse deceptum: Pontificem & Cardinales velle fidem mutare, idque etiam pariter totus clamaret orbis, equidem non deficerem vlla in parte ab illa fide, quam mihi D E V S ostendit, etiam si ea causa mihi mille mortes oppetendæ essent. Quis credat, tam benè fundatum in fide, optasse videre cōtra  
funda=

(a) Vita Sūr. 27. Septem. cap. 29.



fundamenti rationem, quæ sub fide latent abdita?

ERAT eius mentis haud dubiè Elzearius, cuius Rex Christianissimus LVDOVICVS, (a) cui nulla erat cupido, quæ tot alios inflammabat, cernendi in Hostia consecrata, puerili specie Christum: nam credebat firmitus Christi realè præsentiam sub sacramentalibus exuijs, quam si sensibus vsurpasset. Huc etiam spectat narratio Clementis Romani libro 1. recognitionum. Is cum Petrum Apostolum de fide in Christum differentem audiuiisset: Deo gratias ago; inquebat, quia, vt  
 „ instructus sum. Accertò scias Petre, fieri non posse,  
 „ vt dubitè de his, quæ ex te audiui de Christo Propheta  
 „ etiam si aliter doceres; & me in aliam fidem transfer-  
 „ re conareris. Hoc enim mihi certum est, eum qui do-  
 „ ctrinam hanc de vero Propheta acceperit, non posse  
 „ de hac veritate ultra dubitare. Ad hæc Petrus:  
 „ gratias ago DEO, & pro salute tua, & pro quiete mea.  
 „ Valdè enim delector, quia intellexisse te video, quan-  
 „ ta sit Christianæ virtutis magnitudo; & in eo, quod  
 „ ais, me, si ipse cupiam quod absit, non posse te trans-  
 „ uertere in aliam fidem. Utinam fidelium omnium ead-  
 „ dem esset firmitas ac constantia!

## ARTICULUS VII.

## SEPTIMA CONVENIENT:

*inter Fidem & Fundamentum, quod utrumque esse  
 possit, sine Ædificio, quod superstruitur: non  
 vicissim, hoc sine illis.*

FVNDAMENTVM, quia prima domus pars, consistere  
 potest sine parietibus; tecto; membrisque alijs  
 Secunda par. S Ædifi-

(a) S. Ludouicus. 25. Augusti in vita.

ædificium integrantibus; non tamen hæc sine fundamento, quod substruitur. Haud secus, Fides, quam supernaturalis & diuina perstare potest in homine, licet disiectum sit Caritatis tectum, & conciderint Spectantes parietes. Fit enim non rarò, vt fidelis Christianus letiferum aliquod peccatum committat, quo statim Ædificium spirituale dissoluitur, tectum caritatis labitur, parietes ex virtutibus, tanquam lapidibus calce gratia connexis erecti concidunt: quod non tantum de Theologicis Fidei antea coniunctis, sed etiam de moralibus infusis intelligendum est, quæ gratia sanctificante, cum Caritate ablatâ, momento euanescent: manet tamen Fundamentum Domus Sapientiæ, Fides, quod non in infidelitatis, hæresis-ue palis & rastris, ex animæ solo eruitur & dissipatur.

Hoc est, quod Catholici contra nouatores, Lutherum, Calvinum & horum affectas, qui pertinaciter negant, veram Fidem à Caritate posse separari, profitentur, & vnanimiter asserunt, illam à caritate alijsque virtutibus infusis sæpenumero seiunctam in animo consistere. Quod omninò certum est, æquè, ac fundamentum hæere sine superstructione. quis hoc neget, nisi ignorantissimus ædificator? Et quid clarius illo Ioannis Euangelistæ testimonio? *Multi ex principibus crediderunt in illum CHRISTVM) sed non audebant illum confiteri, ne extra Synagogam eijcerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam DEI.* vbi monet accuratus interpretæ Maldonatus: (a) colligi ex eo loco contra novos hæreticos, posse nos veram habere fidem sine caritate: illi enim principes, qui in Christum credebant, veram habebant fidem, alioqui non dixisset Euangelista, illos credi-

(a) Ioan. xii. 43. (b) Maldonat. (c) Bellar. lib. I. de Justif. cap. 15. in argum. 1.

didisse; tamen caritatem non habebant: quam si habuissent, confessi eum fuissent, nec dilexissent magis gloriam hominum, quam Dei.

Ad idem facit illa Apostoli hypothetica i. ad Corinth. XI. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transfraem, caritatem autem non habuero, nihil sum. Quo loco, per omnem fidem. Origenes, quem laudat ibi Benedictus Justinianus, intelligit fidem perfectam, solidam, integram, omnibus numeris absolutam. Alii, omnis generis fidem, nempe, non miraculorum tantum, quæ est gratia gratis data, & cum fiducia ferè coincidit, sed & fidem Theologicam, de qua Paulus ibidem vers. XII. Nunc autem manent. fides, spes, caritas. quod bene ad rem hanc perpendit Gregorius de Valentia, (a) & premit Rober. Bellarminus. Quod etiam satis insinuat S. Jacobus in Epist. cap. secundo. vbi, Fides, inquit, si non habeat opera mortuæ est in semetipsa; comparans fidem sine caritate, corpori sine vita & spiritu, quod licet verum sit corpus, mortuum est tamen, & cadaver. Quare bene Tridentinum Sessione VI. capite VII. docet, Fidem, nisi ad eam spes accedat, & caritas, neque unire perfectè hominem Christo, neque corporis eius vivum membrum efficere. Quæ ratione verissimè dicitur: Fidem sine operibus mortuam, & otiosam esse. Et, in Christo JESU, neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium; sed Fidem, qua per caritatem operatur. Deinde ead. Sessione cap. XV. ita pronunciat: Adversus hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium. asserendum est: non modo infidelitate, per quam & ipsa Fides amittitur, sed etiam quocumq; alio mortali peccato, quamvis non amittatur Fides, acceptam justificationis gratiam amitti: divina legis doctrinam de-

S 2

fen-

(a) Valen. 22. disp. 1. q. 4. p. 4. (b) Bell. lib. 1. de Just. cap. 11. arg. 15.  
(c) Galat. 5. & 6. Cap. circumcisio de pœnit. dist. 2. [d] Rom. XVI.

sendendo. Quæ à Regno DEI non solum infideles excludit, sed & fideles quoque, fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, ceterosque omnes, qui lethalia committunt peccata; à quibus cum divina gratia adjumento abstinere possunt, & pro quibus à Christi gratia separantur. Tandem definit Sacra Synodus Sessione vi. Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul & Fidem semper amitti. Aut, Fidem quæ remanet non esse veram Fidem, licet non sit viva. Aut eum qui Fidem sine caritate habet, non esse Christianum, anathema sit.

FUIT hæc semper antiquissimorum Patrum doctrina. Inter quos S. Chrysostomus in Psalmum xlii. ad vers. i. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, ita scribit. Ab ultimo paupere usque ad eum, qui rerum potitur, universus mundus egrotat. Sed illi quidem nec Fidem, nec rectam habent vitam: isti verò, veram habent Fidem, sed vitam rectam non habent. Dum consentientur se scire, factis autem negant. De Deo splendè loquuntur, & veluti tuba canunt: in bene faciendo dormitant. Categoricè S. Augustinus lib. xv. de Trinitate Cap. 18. Sine Caritate Fides potest esse, si d non prodesse. Eiusdem est illud præfatione in Psalm. xxxi. Si fides sine dilectione sit, sine opere erit. Ne autem multa cogites de opere fidei, addi illi spem, & dilectionem: & noli cogitare, quid opereris, ipsa dilectio vacare non potest. Et lib. vi. contra Julianum cap. 117. Qui rectè amat, procul dubio rectè credit & sperat: qui verò non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera, quæ credit. Ad idem declarandum S. Ambrosius utitur Fundamenti nomine. libro secundo de offic. cap. 2. dicens, reperiri qui habet vitam æternam Fidei, quia in illo Fundamentum est bonum: sed requiri ut habeat etiam bona facta; quia vir justus & dictis & rebus probatur. Nam si exercitatus sit in sermonibus, & d. si liosus in operibus, prudentiam suam factis repellit.

Et

(a) 1. Timoth. 1. (b) 1. Corin. 6.

Et gravius est scire quid facias: nec fecisse quod faciendum cognoveris. Quibus ostendit, Fidem à bonis operibus, aliisque virtutibus, & caritate, vt fundamentum à ceteris domus partibus, sepatatam esse posse. Idem in Psalm. 1. exponens versiculum quintum: *Ideo non resurgent impii in iudicio, neque peccatores in concilio justorum*, tres distinguit ordines iudicandorum. *Primus* est justorum, qui fundamentum fidei habent, ac reliquarum virtutum structuram. *Secundus*, impiorum, in quibus nec Fides, nec virtutum opera. *Tertius*, peccatorum, in quibus fundamentum fidei, sed tecti orbitas, id est, caritatis. Quos alia metaphorâ describit S. Gregorius homilia xxxviii. in Evang. dicens, multos habere fidem, sed carere veste nuptiali, nempe, caritate, atque idcirco à nuptiali convivio eici. Similia habent S. Irenæus, (a) Cyprianus, (b) & alii PP. Nec ratio aliud suggerit, cum constet, caritate nã constitutionem fidei neutiquam pertinere, ac proinde, facile ab illa sejungi posse: maxime cum fides caritate sit prior, ut imperfectum, quod perfectiori substernitur. Quamvis ergo Caritas nequeat esse sine fide, Fides tamen sine caritate consistit. Sicut ædificium non perstat sine fundamento, sed manet sine ædificio integrum fundamentum. Est autem Fides spiritualis substructionis fundamentum, ac propterea, sine illa, neque Spes, neque Caritas locum habere possunt, neque absque Fide quicquã

DEO probari.

OS OS  
S 3

SERMO

(a) lib. 4. cap. 25. (b) Serm. de zelo & livore.